



**S** Amandus patre Serano & matre Amantia natus, eorū opera literis & moribus insigniter institutus fuit. Erat autē eo tempore anno Christi 640. Dagobertus rex Austrasiorum, qui Alsatia gubernabat. Is intellecta Amādi pietate & doctrina eundem ad se uocauit, atq; petijt, ut suæ ditioris homines, qui iam Christum cognouerant, in fide confirmaret, alios autem religioni Christianæ repugnātes in uera fide institueret. De hoc Amando Lompartica historia in sanctorum legēda plurimum fabulatur, id quod etiam in alijs sanctis ab indoctis passim monachis factum cōstat, quę nos huic nostro operi inserere minimē uoluimus.

hiscē enim mendacijs sanctorum gloria magis obfuscatur, quā illustratur. Potissimum enim sancti eō respexerunt, ut Euangelij doctrina passim promulgaretur, atque Christi gloria quæreretur. Hac ratione & Sanctus Amandus fidelem operam Christo & eius Ecclesiæ præstitit.